



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Tractatus Juridicus Ad Librum III. Decretalium Gregorii IX.
Clericorum in communi, nec non Prælatorum, ac
Capitulorum in specie obligationes, & jura complectens**

Scharz, Oddo

Salisburgi, 1738

§. I. Quid, & quotuplex sit Institutio?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63800](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-63800)

§. 14. ¶ 4. seqq. inquirit. Nos, quoniam pagellarum angustiae nos premunt, ad alia properamus, suo tempore, si superis placet, ubi secundas forte curas nostris scriptis adjecerimus, defectum hunc compensaturi.

T I T U L U S VII.

De Institutionibus.

Inter modos legitimos acquirendi Beneficia Ecclesiastica recensetur etiam *Institutio*, quæ fit ad præviam Patroni præsentationem. Et de hac, postquam *Tit. 5.* præcedente collatio Beneficii *libera* explicata est, recto ordine in præsenti Titulo agitur.

§. I.

Quid, & quotuplex sit Institutio?

S U M M A R I A.

1. *Institutio latè accepta* convenit cum aliis modis Canonicis alicui de beneficio providendi, strictè accepta describitur.
2. *Institutio* alia dicitur *collativa*, alia *authorizabilis*, alia *corporalis*.
3. *Institutio corporalis*, quæ & *investitura* vocatur, alia est *verbalis*, alia *realis*.

Vox hæc *Institutio* in latiori significatione accepta denotat quemcunque modum Canonicum alicui de beneficio providendi, *cap. 1.* de *R. J.* in *6.* vel etiam admissionem, sive susceptionem ad Ecclesiam, vel Monasterium, juxta *cap. 1.* & *5.* ubi plures ad Monasterium suscipi prohibentur, quam ali de bonis Ecclesiæ commodè possint. Strictè sumpta, prout opponitur *Electioni*, & *Collationi*, denotat illam provisionem beneficii, quæ fit ad præsentationem Patroni, & in hac acceptance.

Describitur, quod sit *concessio Beneficii* vacantis non libera, ad præsentationem, vel nominationem alicujus legitima authoritate facta. Ex qua descriptione relucet differentia inter *Collationem*, & *Institutionem*, dum in illa collator, cuicunque vult, modo idoneo, beneficium liberè conferre vallet. *cap. 9. de Præbend.* In hac verò iasituens beneficium præsentato, vel nominato, si ceteroquin dignus reperiatur, præcisè conterre teneatur, ut pluribus traditur in *Tit. de Jur. Patronat.*

Di-

2. Dividitur Institutio sic descripta in *collativa*, *authorizabilem*, & *corporalem*. *Collativa* dicitur, qua ad præsentationem Patroni Beneficium conceditur. *Authorizabilis* vocatur, qua datur potestas exercendi curam animarum. *Institutio denique corporalis* est ipsa investitura, & introducere in possessionem. *cap. 5. de Offic. Archid.* Hæc ipsa tamen *investitura* potest vel strictè, vel latè accipi. Propriè & strictè accepta significat ipsam possessionem realiter traditam. Ut patet ex lib. 2. *feud. Tit. 2. Hotoman. de Verbis feudalibus Verbo investitura.* Aliquando tamen, si latius hoc vocabulum intelligatur, significat duntaxat jus adipiscendi possessionem corporalem. *1. feud. 3. §. si verò, 2. feud. 7. §. fin.* unde canonice electus, quia habet jus, ut sibi constituantur locus in Capitulo, & stallus in choro,

latè dicitur *investitus* in *cap. 2. de Re-*
nuntiat. Gonzalez *ibidem n. 5.*

Investitura rursus vel est *verbalis*, *3*
vel *realis*. Illa fit per verba cum tra-
ditione alicujus symboli, putà, annuli,
baculi, libri, sigilli, vel funis campa-
næ, & hæc non est investitura propriè
dicta, quia non transfert possessionem,
sed tantum tribuit jus apprehendendi
eam. Unde Joannes VIII. in *cap. 1.*
C. 16. Q. 2. ait: *Magis fuisse possessionem*
dare, quam investitaram concedere.
Gonzalez *ad cap. 4. de Concess. præbend.*
num. 2. Realis investitura fit, dum quis
in locum beneficii actualiter introduci-
tur, &, ut vocant, installatur. Circa
utramque investitaram stylum, &
obseruantiam locorum attendendam es-
se monent DD. De investiture *Sym-*
bolicis videndus est Boehmerus *ad b. t.*
§. 6. & seqq.

§. II.

Cui competit jus instituendi?

S U M M A R I A.

4. *De Jure communi institutio competit ei, cui alias, si beneficium liberæ collationis esset, jus conferendi competenteret, quod tamen ab inferioribus Prælatis præscrip-
tione, privilegio, aut consuetudine acquiri potest.* **5.** *Institutio competit Ca-
pitulo Sede vacante.* **6.** *Potest etiam à S. Pontifice concedi Abbatissis, aliis-
que Monialium Præpositis.* **7.** *Non tamen hoc jus acquirere possunt laici, etiam
præscriptione immemoriali.* **8.** *Institutio authorizabilis competit Episcopo,
aut alteri Ordinario.* **9.** *In quibus casibus Episcopi approbatione opus non
fit?* **10.** *Institutio corporalis cui competit?*

4. *J*us instituendi in beneficio, si lo-
quamur de Institutione *collativa*,
regulariter, & de Jure communi
competit illi, ad quem alias collatio
beneficii, si liberæ collationis esset, spe-
ctaret, ideoque Episcopus loci, in quo

beneficium est situm, hac in parte fun-
datam pro se in jure intentionem habet.
cap. 3. b. t. Quin tamen hoc ipsum
jus etiam Prælatis inferioribus per pri-
vilegium, præscriptionem aut consue-
tudinem acquiri possit, dubitare non
A a 2 sci-